

unde nunquam tale corpus productum erat, formavit. Ergo si jam olim corpus hominis ex terra produxit, cur non ex materia eadem in terram resoluta denuo corpus producere posset. Bene Tertull. in apologet. c. 48. *Qui nihil fueras, priusquam esses, idem nihil factus, cum esse desieris, cur non possis rursus esse de nihilo, ejusdem ipsius Auctoris voluntate, qui te voluit esse de nihilo? quid novi tibi eveniet, qui non eras, factus es, cum iterum non eris, fies. Redde, si potes, rationem, qua factus es, & tunc require, qua fies. Et tamen facilius utique fies, quod fuisti aliquando, quia eque non difficile factus es, quod nunquam fuisti aliquando. Dubitabitur, credo, de Dei viribus, qui tantum corpus hoc mundi, de eo quod non fuerat, non minus quam de morte vacationis & inanitatis composuit, animatum spiritu omnium animatore. Et Athenagoras apud Amb. pag. 397. in apol. Tertull. *Vires Dei sufficere ad corporum restitutionem indicat vel ipsorum procreatio. Si enim hominum corpora cum non essent, condidit, eorumque principia, unde originem trahunt, procreavit, etiam quomodocumque dissoluta cum eadem facilitate instaurabit: Id enim illi eque possibile est. Cujus enim est potestatis à sua conditione informem materiam transformare, nullaque figura indutam, multis & diversis vultibus exornare, ejusdem Auctoris fuerit, & ejusdem potestatis, & quod dissipatum est, conuere, & quod jacet surrigere, & quod mortuum est denuo vivificare, & corruptibile mutare in incorruptibilitatem. Ergo monente rursus Tertull. c. 48. in Apolog. Considerate ipsum o homo, & fidem rei invenies. Recogita quid fueris, antequam esses, utique nihil. Meminisses enim, si quid fuisses. Cui ante tui corporis productionem non ignota fuit elementorum tuorum natura, ex quibus suum ortum corpus traxit, ille nec ignorabit, quò singula recedant, quæ ad perfectionem corporis assumserat, ubi integritas illa dissipata fuerit. Similiter Augustinus l. 22. de C. D. c. 20. Absit, ut ad resuscitanda corpora vitæque reddenda non possit omnipotentia creatoris omnia revocare, quæ vel bestia, vel ignis absumpsit, vel quicquid in pulverem cineremve collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras exhalatum. Absit, ut sinus ullus secretumque nature ita recipiat aliquid, subtractum sensibus nostris, ut omnium creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem. Quod porro probat ex Ciceronis, tanti Auctoris gentilium, sententiâ, qui Deum vocat mentem omnia sentientem & moventem. Ut igitur, ait secundum ipsos loquar, quomodo aliquid vel latet omnia sentientem, vel irrevocabiliter fugit omnia moventem? Et post quædam interjecta;**